



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 116. Maximilliani Imp. adventus in Italia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.

A. C. 1496.

§. CXVI.

Maximiliani Imp. adventus in Italia.

Imperator gemino affinitatis foedere cum Regibus Catholicis contracto, in Italiam proficisci constituit, ac alpis transmissis, mille equitibus, ac quinque peditum millibus stipatus, Longobardiam ingreditur, suasque copias Mediolanensium Duci adjunxit; inde enim viribus auctus, Trivulcio jamjam occurrenti sese opponere valebat. Hic Franciæ Marscallus Astam usque processit, ac in quadam eminenti colle castra posuit. Ludovicus Dux minima quæque Trivulcii molimina explorans, arcana ejusdem consilia detexisse sibi persuadebat, ratus, haud alio ex fine a Trivulcio hunc castrorum situm fuisse delectum, quam ut eo securius Genuæ Fregosio juniore, & Savonæ Cardinali S. Petri ad vincula, quibuscum secreta fovebat consilia, sese conjungere posset; nil firmiter igitur in animum adducebat Ludovicus, quam quod Trivulcius alterutri huic urbi copias suas admoturus esset, hinc utramque urbem potissima militum parte, quos Mediolani habebat, munivit.

§. CXVII.